

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XXV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

*Salutem in Domino.*

**Q**uas à te, Ornatissime D. Magister Erasme, postremas accepi, eae 18. Cal. Jan. scriptae erant. An alias post eas scripseris, idcirco dubito, quod frater tuus M. Philippus, sub idem tempus ad me scribens, inter alia: Caeterorum, inquit, Professorum nomina & diligentiam cum frater ad te perscripserit, finem faciam. In postremis autem illis, cum animadvertam, quae tua est pietas, valde te sollicitum esse de Ecclesiarum & docentium in illis Concordia, non possum facere, quin de iis, quae nos non speramus, sed certa tamen non habemus, ad te perscribam. Illyricus, diu multumque considerata D. Jacobi narratione, quam vobis legendam mittimus, tandem in eam à nobis sententiam pertractus est, ut ad pacem deinceps & conjunctionem Ecclesiarum ad posteritatem stabilendam, paratus sit suis certaminibus finem imponere, maxime cum videat, de quo postea, in Witebergenibus revocandis in viam, omnem, ut ajunt, operam ac oleum, non à se tantum, sed à D. Jacobo etiam, & omnibus omnino ludi. Itaque scripto quodam suo, *xxv. 1571. 24. 10.* confirmato; quod nos Stutgardiam ad D. D. Jacobum & Bidembachium misimus: eo igitur profiteretur, se cum omnibus illis deinceps pacem & amicitiam colere velle, qui eam doctrinam amplectantur, quae libro illo, maxime autem pag. P. est explicata. Nam tot suis certaminibus se aliud nihil quaesivisse, quam ut talis doctrinae forma retineri & ad posteros propagari possit. Ad Wittenbergenses quod attinet, poenas ipsi luunt, ut apparet, blasphemiarum in Filium hominis, quas vernis disputatione, Quæstione Oratione, evomuerunt. Tamen enim à D. D. Jac. Andreae & Selneccero ita cum ipsis actum fuerit, post illam promotionem, ut si voluissent, sine ignominia in viam redire potuissent, (quemadmodum ex postrema parte itinerarii poteris cognoscere,) tamen ita nunc justo DEI judicio sunt affecti, ut illarum blasphemiarum thesrum publicè profiteantur, nullam se meliorem admittere interpretationem. Scis autem, in illa disputatione inter alia esse: Filium DEI humanae assumptae naturae neque personam, neque majestatem, neque operationes, realiter communicasse. Nunc illam Disputationem, cum Quæstionibus & Orationibus omnibus, hoc anno Witebergae habitis, denuo & conjunctim mense Octobri publicarunt. Addiderunt & huic repetitae editioni Praefationem, quae inter medias criminationes Flacii, quas à principio & sine haber, de industria hanc unam ob causam & scripta & publicata esse videatur, ut publicè testentur, se omnia illa, quae D. D. Jacobus & Selneccerus cum ipsis egerunt, improbare, & in priori manere sententia, quam omnibus persuadere conantur, esse religiosae & venerandae Antiquitatis doctrinam. Imo nostrarum Ecclesiarum doctrinam, de Unione

Hypo-

Hypostatica & Communicatione Idiomatum, Transylvanorum, Blandrate ac Francisci Davidis, furoribus comparant, atque Arianæ hæresi expressis verbis annumerant. Hæc cum videret Illyricus, statuit deinceps Wittebergenses, tanquam plus satis admonitos & *αὐτομακείτως* devitare & relinquere. Misera hæc est facies Ecclesiæ, sed ita misera, ut in tantis miseriis, spes tamen nobis aliqua Ecclesiæ futuræ ad posteritatem promittatur, siquidem planè constitueretur & durabit ista pax; pro qua re invocandus Dominus est, qui plantantibus & rigantibus auxilium promisit.

Hæc ad te, Humanissime D. Magister, pro hoc tempore exaranda putavi, in magna festinatione, cum Ilbeckus jam discessurus de itinere suo domum mihi renunciasset. Cætera ex fratris epistola cognosces. Vale, in Domino & Pappum, quod facis, ama. Argentorato, 3. Januarii, Anno 1571. quem tibi à Domino foelicem & faustum ex animo precor. Det Dominus, ut & corpore valeas, & animo crescas, & Spiritu corroboreris, ad suam gloriam, Ecclesiæ commodum, tuam salutem. Amen.

*Tuus in Domino frater*

Johannes Pappus.

Explicationem Spangenbergii de Peccato Originis, credo te vidisse. Neque dubito, quin tibi sit satisfactura. Est autem admodum erudita tua explicatio de Forma Artificum substantiali, quæ in tractatione Scholastica Juicem adfert huic doctrinæ, ut M. Philippi oratio, in Theologia, hanc ipsam doctrinæ partem illustrat.

XXVI.

*Salutem in Domino.*

Quam tu, humanissime D. M. Philippe, diligentiam in me esse arbitraris, eam ne erres, qui mihi adulantur, occuparionum multitudinem appellant: ego negligentia nomine condemno. Toties ad te scripturus fui, & toties revocavi a scriptione ipse me, vel ea potius, quam accuso, negligentia, ut epistolarum mihi ad te apparerent exordia multa, Epistola autem perscripta esset nulla. Sed literæ ita sint lanè, ut sunt, modo ut ne existimes, me te non pro amico amplius, sed Judice & Dictatore habere. De Academia autem nostra quod scribam, non habeo, nisi quod ea, ut semper, afflicta est. Koleselium verò majoribus & dignioribus oneribus reservari credo: & sub illam ipsam mutationem stipendium ei auctum est. Bafilensi vestræ florenti gratulor, sed vobis magis, quibus in ea vivere & tantorum vi-

rorum